

IN DECALOGVM

propter iram, id est, nō tantū propter pēnā corporalē, qua magistratus plectit non obtemperantes, vindex in iram ei qui male agit, sed etiā propter conscientiam, hoc est, ne conscientia coram deo rea fiat. Vnde & Titum instituens iubet, vt admoneat suos Cretenses, principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonū paratos esse.

Propter con-
scientiam
Titum. 3

Magistrati-
bus tribuen-
dus honos

Psal. 81
Exodi. 22
1. Petr. 2
Etiam malis
principibus
debetur ho-
nos
1. Petri. 2
Romā. 13
Baruch. 1

1. Petri. 2
Quid agen-
dum, si ob-
tingat effe-
rus princeps
aut magistra-
tus.
1. Petri. 2

Duplex re-
medium ad
emolliendam
tyrannidem
magistratuū
1
Iob. 24.

DEniq; magistratibus honor tribuendus est. Idq; nō tantū externa reuerentiæ significatione, sed magis animi iudicio ac voluntate, videlicet vt agnoscamus in eis dei ministeriū & ordinationem. Ob qd scriptura nō dubitat eos & deos vocare, hoc est dei vicem in terris gerentes, cum inquit: Ego dixi, dii estis. Et rursus applica eos ad deos. Quo respiciens Petrus Apostolus: Regem (inquit) honorificite. Debemus autem hoc nō tantum bonis ac modestis principibus, sed etiā impijs, discoloris malis, & indisciplinatis. Tum propter ministeriū quod gerunt, quæ est ordinatio dei. Tum propter religionē, disciplinā, pacē, & tranquillitatē publicam retinendā. Sic legis Baruch prophetā, & qui cū eo erant in Babylonia captiuos, Iudæis qui residui adhuc erant in Hierusalē scripsisse in hæc verba. Orate pro vita Nabuchodonosor, & pro vita Balthasar filij eius vt sint dies eorū sicut dies cœli sup̄ terram. Et vt det dñs virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus grātiā in conspectu eorū. Et Petrus Apostolus iubet, vt subditi simus in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discoloris. Proinde si nobis efferus & inhumanus princeps (qui magis vi q̄ iure agit) contigit, is tamen non statim contēnendus est, nec ob id obmurmurandum nobis, multo minus mouenda seditio est, ne publica pax perturbet̄. Hæc est enim gratia (vt idem Apostolus ait) si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias paciens iniuste, in hoc enim vocati sumus, quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste. Duplici tantum remedio nobis ad emolliendam magistratuū tyrannidem vt permittitur ac etiam præcipitur. Primū, vt pro eis deū precemur, quo ad meliorem mētem reuocentur, quod tum magis solliciti faciemus, si agnoscamus malos magistratus nobis immisos, ad puniendum peccata. Quemadmodum Iob testatur, quod dominus regnare faciat malos & hypocritas propter peccata populi.

~ 2 **S**Ecūdo hic meminisse debēt Parochi officij sui, nepe vt efferos magistratus p̄ dei verbū cū omī modestia corripiāt, erudiāt, admoneāt, arguant,